



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

IV. De aliis Syllogismis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

Medium debet esse prædicatum vtriusque præmissæ, & quia prima, & tertia littera sunt *E, E*, Maior & consequentia debent esse vniuersales negatiuæ, Minor verò vniuersalis affirmatiua debet esse significata per secundam litteram *A*, quæ omnia in hoc syllogismo reperies:

Nullus lapis est homo.

Omne rationale est homo.

Ergo nullum rationale est lapis.

Si placuerit syllogismum fieri in *Darapti*, quia dictio hæc ad tertiam figuram spectat, Medium debet esse subiectum vtriusque præmissæ: & quia prima, & secunda littera *A, A*, vtrique præmissæ vniuersalis affirmatiua futura est: & quia tertia littera est *I*, consequentia debet importare propositionem particularem affirmatiuam. Harum conditionum hic syllogismus praxis esto:

Omnis homo est animal:

Omnis homo est rationalis:

Ergo aliquod rationale est animal.

PUNCTUM IV.

De aliis syllogismis.

Aristoteles cap. i. Priorum, agit de syllogismo expositio, qui à præcedentibus enumeratis differt, quia hic Medium habet singulare, illi verò Medio communi gaudent. Syllogismus, cuius medium est singulare, expositio dicitur, quia aded clare concludit, vt præ oculis videatur rem exponere, quapropter non abs re ab aliquibus huiusmodi syllogismi demonstrationes sensibiles appellantur. Tota vis huius syllogismi, sicuti & aliorum, ex illo principio, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. desumitur, & aded est manifesta, quia praxis huius principij in hoc syllogismo clarius cernitur, illa enim quæ cum quodam singulari cognoscuntur identifica, perspicue videntur identificata vni tertio: nihil enim magis est vnum, quàm illud quod singulare est. Possunt huiusmodi syllogismi fieri in prima, secunda, & tertia figura; possunt constare extremitatibus singularibus, aut particularibus, & etiam vniuersalibus, dum Medium semper singulare sit; possunt etiam affirmatiuæ, aut negatiuæ concludere; exempla abundè suppetunt. Syllogismus hic constat extremitatibus particularibus, concludit negatiuè, & ad primam figuram pertinet:

Petrus non est diues:

Hic homo est Petrus:

Ergo hic homo non est diues:

Exemplum syllogismi pertinentis ad secundam figuram affirmatiuè concludentis, cum extremitatibus particularibus, subsequens syllogismus esto:

Aliquis homo est Petrus:

Aliquod album est Petrus:

Ergo aliquod album est aliquis homo.

Ad tertiam figuram pertinebit hic syllogismus constans extremitatibus vniuersalibus.

Omne astrum efficiens diem est hic Sol:

Omnis Planeta qui est in quarto celo est hic Sol.

Ergo omnis Planeta qui est in quarto celo, est astrum efficiens diem.

Possunt alij quàm plures syllogismi expositio in dictionibus supra assignatis fieri, quorum plures, si placet, videre potes apud P. Fonseca lib. 6. c. 23. & 24. qui abundè & doctè hæc omnia pertractat.

2 Notare autem oportet in his syllogismis non posse concludi negatiuè, si extremitas se tenens ex parte prædicati in consequentia non sit terminus singularis, sed particularis, hæc enim est mala argumentatio: *Aliquis homo est Petrus: Ioannes non est Petrus: Ergo Ioannes non est aliquis homo.* Ratio est, quia totum id quod negatur in conclusione de aliquo extremitate, debet in præmissis significari identificatum cum Medio, cum quo altera extremitas de qua negatur fuit identificata, quod hic non contingit; cum enim dico in consequentia, *ergo Ioannes non est aliquis homo*, nego de Ioanne omnes homines, quos non identificaueram in præmissis cum Medio, sed vnum tantum, quia vnus identitas sufficit ad veritatem huius propositionis, *aliquis homo est Petrus*, omniumque distinctio requiritur ad veritatem huius: *Ergo Ioannes non est aliquis homo.*

3 Longam nonnulli disputationem texunt de syllogismis obliquis, hypotheticis, & modalibus, qui tales dicuntur, quia terminis constant in obliquo significatis, & propo-

tionibus hypotheticis aut modalibus componuntur. De his syllogismis nihil peculiare dicendum occurrit, præter illa, quæ de syllogismo in communi dicta sunt, eisdem enim regulis illorum constructio dirigitur. Id autem debet diligenter attendi in his syllogismis, quia in illis maior est occasio terminos multiplicandi, ratione alicuius modi, aut casus obliqui, vt quilibet affectio, quæ semel ponitur in aliquo termino, siue ratione modi, siue ratione casus obliqui, semper eundem terminum comitetur, alias syllogismus quatuor terminis constabit, vt videre est in hoc syllogismo: *Omnis equus Petri currit: Brunelus est equus; ergo Brunelus currit*, quia equus Petri, & equus sine addito duos efficiunt terminos. Vltimò aduerte, quando Medium in aliqua ex præmissis in obliquo significatur, alteram extremitatem consequentia in obliquo esse ponendam. Exemplum esto: *Omni homini est equus, Petrus est homo: ergo, Petrus est equus.* Ratio petenda est ex constructione verbi est: cum enim extremitas, & medium se tenent ex parte subiecti cum eodem verbo est eodem modo construui debent; syllogismus enim ille in hunc redit: *omnis homo habet equum, Petrus est homo: ergo Petrus habet equum.*

PUNCTUM V.

De reductione syllogismorum per ostensionem, & per impossibile.

Etsi omnes syllogismi facti in dictionibus supra relatis *Barbara, Celarent*, &c. legitime concludant, non tamen si quatuor primos excipias, qui perfecti appellantur, aded clare patet vis illationis in aliis, vt non possit eisdem terminis aliter dispositis per eandem aut æquivalentes propositiones euidentius ostendi. Hoc fit per reductionem cuiuscumque ad vnum ex quatuor prioribus perfectissimis, in quibus aded euidentis est consequentia, vt qui illam neget, amplius redarguendus non sit, sed à litterarum hominum coetu exterminandus. Hæc reductio duplici modo fit: per ostensionem, & per impossibile: dicam modò de reductione facta per ostensionem, posteaquæ ad reductionem per impossibile faciendam deueniam.

Vt artificium huius reductionis agnoscas, nota dictiones omnes in illis carminibus contentas habere vnâ ex his litteris initialem *B, C, D, F*, quæ correspondent initialibus quatuor syllogismorum perfectorum *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*, cuius correspondentia significatio hæc est: Syllogismi omnes facti in dictionibus, quarum initialis est *B*, ad *Barbara*; facti in dictionibus, quarum initialis est *C*, ad *Celarent*; facti in dictionibus, quarum initialis est *D*, ad *Darij*; facti in dictionibus, quarum initialis est *F*, ad *Ferio* reducendi sunt. Excipiuntur ab hac regula *Baroco*, & *Bocardo*, quorum syllogismi per ostensionem reduci nequeunt, quia constant duobus particularibus negatiuis, quæ nullâ conuersione fieri possunt vniuersales affirmatiuæ, quibus necessariò debet constare syllogismus factus in *Barbara*, ad quem reducendi essent facti in *Baroco*, & *Bocardo*.

Aduerte secundò in omnibus dictionibus reperiri saltem aliquam litteram ex his *S, P, M*, quarum significatio hæc est: littera *S* significat propositionem significatam per litteram antecedentem, conuertendam esse simpliciter: littera *P* significat conuertendam esse per accidens: littera *M* significat commutandas esse præmissas, & ex maiori faciendam esse minorem, & ex minori maiorem. Quod si hæc omnes litteræ in eadem dictione reperiantur, omnes illarum significationes obseruandæ sunt. Exemplum accipe in *Fapesmo* in quo occurrit praxis omnium præceptorum, quæ circa conuersionem tradidimus.

Omnis homo est animal:

Nullus equus est homo:

Ergo aliquod animal non est equus.

Syllogismus hic factus in *Fapesmo* ad *Ferio* reducendus propter litteram *F* initialem. Deinde ex illius minori maior, & ex maiori minor fieri debet, propter litteram *M*, in hac dictione repertam. Insuper propositio, quæ antea erat minor, & maior est constituenda, conuertenda est simpliciter, quia post secundam litteram *E* prædictæ dictionis, quæ littera minor significatur, reperitur *S*. Rursus propositio, quæ antea erat maior, & minor facienda est, per accidens conuerti debet, id enim expicit littera *P* immediate posita post primam litteram *A*, quæ maior propositio significat